Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39405
Copyright: Melk, Benediktinerstift

De trans

Trans compositio composita cum dictionibus ab d. n. vel i consonante principium habentibus n et s amittit ut traduco trano traiecto Inveniuntur tamen et integra ut transnumero et transduco que videri possunt non esse composita

De N littera

N littera neque ante b neque ante m neque ante p locari potest Sive composita dictio fuerit seu simplex ut summa per duplex m. Rombus pompeius Communis immunis Combibo imbibo Computo imputo In compositis quoque per figuram themesim divisis ut inque prudens inque potens usus doctorum habet ut m ponatur loco n. quamvis videri posset ad suam naturam in compositionem esse reversam que dum separata est quamquam sequens dictio supradictas in principio litteras habeat non mutatur ut in bivio in pontificio in magistratu Contra vero fit ut f. c. d. q. t. in simplicibus ac compositis dictionibus iuxta se preire non sinat m ut consul linquo Cancer Mendax Centum anfractus quemcumque quicumque tantundem identidem In grecis quoque dictionibus que per ph figurantur idem servandum est Sed scribi m pronunciari n peritiores volunt Ut pamphilus nimpha